



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 55. Novi Evangelii Leges ab Electore pro sua reformatione statutæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)



Sæc. XVII.  
A. C. 1614.

§. LV.

*Novi Evangelii leges ab Electore pro  
sua reformatione statuta.*

*Merc. Gall.*  
*l. 2. tom. 10.*  
*pag. 20.*  
*Jans. Cont.*  
*pag. 393.*  
*Sleid. Red.*  
*l. 19. p. 1376.*

**I**n superhabito hoc edicto, quod Confessionis Augustanæ factio in Calvinianam contra Imperii leges ad id usque temporis servatas, atque adversus decretorum comitialium statuta transfusa fuerit, lamentabantur Lutherani, ne ipsi quidem parcentes Principi: immerito tamen; cum enim juxta sectæ suæ instituta Principi ac Magistratui summum in Sacra jus competat, ejus quoque auctoritati ac judicio reservatum censetur, quænam Religio sibi, statui ac populis, inspecta temporum rerumque vicissitudine, magis conveniat. Hac igitur potestate utebatur Elector, qui, postquam Lutherum cum Calvino commutabat, novas etiam, & antehac illic non auditas leges suis subditis præscripserat, erant autem hæ:

I. *E Templis omnibus imagines omnes  
& statuæ tollantur.* II. *Altaria Sæcra,  
quia Pontificiorum opus, dejiciantur.* III. *His mensa lignea, linteo nigro velata substituatur.* IV. *Cænæ Dominicæ tempore  
mappa candida superinsternatur.* V. *Tabulæ,  
Cruces, crucique suffixus Christus,  
pictus, fictus, sculptus, aut metallo fusus,  
quia*



quia Pontificii ritus, penitus exterminentur. Sæc. XVII.

A. C. 1614.

VI. In cænis Dominicis non orbiculatæ Pa-  
pistarum hostiæ, sed nudi panes, simila-  
gineæ massulæ, placentæque bene latæ,  
sed in oblonga segmenta dissectæ, deque  
lancibus exemptæ populo dentur in ma-  
nus, populus vero quod quisque viritim  
accepit, id ipse suamet manu frangat, co-  
medat, suum in usum vertat. VII. Ca-  
licum in cænis synacticis usus tollatur  
(quoniam & Papanis eorum usus est,) e  
scyphis autem bibatur.

VIII. Institutionis Cæne Dominicæ nar-  
ratio posthac legatur; & non cantetur.

IX. Ante Collectam oratio præmitti sue-  
ta, deinceps prætermittatur. X. Sacrifi-  
cæ vestes & apparatus missarum univer-  
sus aboleantur. XI. Nec candelabra, nec  
candelæ lucentes, vel in aris posterum, vel  
alio templorum ullo loco tolerantur. XII.

Cænaturientibus in Synaxi mappa posthac  
non præpandatur. XIII. Ad porrectam  
quoque Cæne portionem in synaxi cœnans  
inclinare caput tanquam ad Christi præ-  
sentiam caveat. XIV. Sub iisdem quo-  
que synaxibus, Cæna non a genuflectenti-  
bus aut prostratis, sed a stantibus, aut  
alio situ corporis utentibus percipiatur.

XV. Crucis expressio peracta benedictione  
negligatur. XVI. Presbyteri posthac al-  
taribus adstantes faciem cœtui, non dorsum  
ostendant. XVII. Collectas iidem & Epi-  
stolas

Hist. Eccles. Tom. LV.

Y

stolas



Sæc. XVII. stolas legant, non cantent. XVIII. *Pec-*  
A. C. 1614. *cata presbytero confiteri posthac antiqua-*  
*tum in perpetuum sit.* XIX. *Nomine Jesu*  
*pronuntiato caput nec inclinetur nec aperia-*  
*tur.* XX. *In Cathedralis templorum pre-*  
*catio non silentio, sed sonore peragatur.*  
 XXI. *Ad ægros, quoniam (Luis præ-*  
*fertim tempore) contagionis periculum sa-*  
*nis impendet, Cæna Dominica ne deportetur.*  
 XXII. *Baptisteria lapidea (quoniam*  
*Papismo sueta) destruantur.* XXIII. *His*  
*pelvis substituatur.* XXIV. *Epitaphia,*  
*Christique cruci suffixi simulacra posthac in*  
*templis ne tolerantur.* XXV. *Decalogus*  
*Et Catechismus immutentur.* XXVI. *San-*  
*cta Trinitas neququam aut sculpatur: aut*  
*pingatur.* XXVII. *Verba de Mysterio*  
*Cæne Dominicæ sensu sano capiantur*  
*Et explanentur.* XXVIII. *Epistolarum Et*  
*Evangeliorum vicem in templis posthac*  
*lectio suppleat.* XXIX. *Lectionique sub-*  
*jecta mox explicatio partis alicujus libro-*  
*rum nec Epistolice, nec Evangelistarum*  
*introducatur.*

*Hutterus*  
*Calvin, Au-*  
*lico. Polit.*  
*initio, Et*  
*pag. 117,*  
*255. Et seq.*

Præterea in alio diplomate ad Pro-  
 vincia Ordines die decima octava Mar-  
 tii dato Elector (ut Olearius Pastor Hal-  
 lensis deplorat.) Formulam concordia  
 appellabat *Concordiam discordem*, simul-  
 que Augusti Electoris dicta repetens,  
 se ab avaris suis Pastoribus deceptum  
 fuisse querebatur: postea afferebat, quod  
 sub-



subditi absque hac concordiae formula Sæc. XVII.  
 salutem consequi possent, eoquod ea A. C. 1614.  
 nonnisi ambitiosorum Poparum opus  
 esset; hi vero eam consarcinando dun-  
 taxat aureos crateres, divites præben-  
 das, & alia munuscula fœnerati fuif-  
 sent. Eodem adhuc anno Elector Men-  
 se Octobri ex Marchia omnes, ut vo-  
 cant, Superintendentes Berolinum con-  
 vocabat, atque exposita hujus reforma-  
 tionis causa eis denuntiabat, quatenus  
 cum Calvinistis desuper in arenam nec  
 descenderent, nec deinceps adversus hanc  
 mutationem declamare auderent. Hi  
 autem omne obsequium pollicebantur,  
 ac ne ullus quidem in tam ampla ditio-  
 ne, tamque antiqua Universitate repe-  
 riebatur, qui cum hisce Dipnosophistis  
 disputare ausus fuisset. Ab initio qui-  
 dem Provinciales Marchiarum Ordines  
 præcipue Borussi novis his decretis at-  
 que edictis vehementer obsistebant, Au-  
 gustanæ Confessionis doctrinam eo vel  
 nomine urgentes, eoquod hic Princeps  
 ex pacto, juratoque hujus sectæ tutel-  
 lam pollicitus esset. Prævaluere ta-  
 men novi hujus Reformatoris auctori-  
 tas, necnon Ministrorum quorundam  
 ad omnes nutus venalium ac Principi  
 adulantium obsequia: paulatim quo-  
 que vulgi ad novitates proclivis levita-  
 tate factum, ut sensim Calvino subscri-  
 berent



Sæc. XVII. berent haud pauci: ceteri vero, qui in  
A. C. 1614. Lutheri verba pertinacius jurabant, ex  
 Marchia & Berolino excedentes, ad us-  
 que Baltici maris oras passim se effun-  
 debant, alii denique adhuc Lutherum  
 suum adversus Calvinii impietates sedi-  
 tiosis etiam armis vindicare moliebantur,  
 uti anno sequenti memorabimus.

Ceterum ex Lutheranae sectae Præconibus complures abolitæ Religionis suæ causam in ipsorum scelera, quæ Deus per Principis sui præpotentiam castigasset, in suis Concionibus palam rejiciebant, in quo rem propius tetigisse videbantur, quam Lutheranus ille Pastor ex Austria profugus, qui, Lipsiæ anno Christi millesimo sexcentesimo quinto edito libello, ex diabolo causam periclitantis suæ sectæ didicisse scripsit, hæc referens (\*): Diabolus ipse ex obfesso quodam studioso hæc mihi objecit: *Ministelle, tibi dicam, quomodo & qualiter vos Austriaci Verbum Dei amiseritis? nimis securi eratis de Religiosa pace, & juramento Cæsaris, qui vobis religionis vestrae præsi-*

(\*) Nicol. Blumius, historische Erzählung von einem besessenen Studenten zu Pirna (Leipzig 1605.) pag. 4. cujus rei veritatem testatur Kreidius in tract. Nosse me p. 301. vide Arnolds Kirchen und Rezer. Historie part. 2. l. 17. cap. 2. §. 3.



*præsidium pollicebatur, confidebatis: cum* Sæc. XVII.  
*autem hac fiducia sopiti stertebatis, ego so-* A. C. 1614.  
*ciique mei a vestro Superiore (forte Lu-*  
*thero) potestatem, facultatemque recepi,*  
*ut vobis vestram eriperem Religionem: cum*  
*autem ex diabolo sciscitarer, an & ipse*  
*ad hoc operam suam contulisset? respondit,*  
*præcipuus ex ceteris fui, meamque operam*  
*ad te ex Austria ejiciendum impendi. Non-*  
*ne verum est, ibi Pastoris munere fungeba-*  
*ris? tribus omnino annis in exilio fuisti,*  
*& te tamdiu contra Cæsaris interdictum*  
*clam in Austria detinuisti? Quid de ridi-*  
*cula hac relatione ex Lutherani Præ-*  
*conis ore facta censendum, Lectoris*  
*judicio relinquimus.*

## §. LVI.

*Aquisgranensium Lutheranorum tu-*  
*multus tandem armis sedatus.*

Interim Aquigranenses Lutherani au- Cluver. l. c.  
 daciam cumulantes audacia, non Merc. Gall.  
 modo adversus Magistratum, Catholi- pag. 39.  
 cam doctrinam, ejusque Sacerdotes,  
 sed contra ipsam etiam Cæsaream Ma-  
 jestatem insurgabant, ac supremi sui  
 Capitis imperata minasque despicie-  
 bant, promissis sectæ suæ Principum,  
 maxime Batavorum auxiliis ferociores  
 facti: unde Cæsar, qui hosce seditiosos  
 internuntiis, & Oratoribus ad saniora  
 reduce-